

27
IOAN. AVGVST. NOESSELT 5)

THEOL. PROF. PVBL. ORD.

AD LOCVM

E IOANNE VII. 37 - 39.

DISPVATIVNCVLA

PVBLICO NOMINE OLIM

NVNC EMENDATIOE EDITA.



HALAE MAGDEBVRGICAE

APVD IOANNIS CHRISTIANI HENDELI VIDVAM.

M DCC LXVI.

JOHN AVGVST WOESELT

PHYSICIAN

AMERICAN

JOHANN VII 17 - 30

PHYSICIAN

PHYSICIAN

PHYSICIAN

HAND WRITING

PHYSICIAN

PHYSICIAN





Cum multa fuerint, quibus in initiis Ecclesiae Christianorum Deus nouae veluti doctrinae suae auctoritatem conciliaret, efficeretque ut, quae per se non probabantur humanae vel inscitiae vel superbiae, in animos hominum vi quadam diuina influerent: tum nihil fere est dotibus edendorum prodigiorum illustrius, quas libri sacri docent multis inter primos Christianos contigisse. Namque ut omnibus iis, quibus hae fuerant diuinitus distributae, illae erant quasi praemia virtutis fideique in IESVM CHRISTVM positae, atque eos confirmabant in amore Dei & excitabant sensum gratissimi pro tot tantisque beneficiis animi; sic ostendebant alienis a vera religione numen inter Christianos praesentissimum, eosque ad eandem cum iis religionem suscipiendam allecebant. Per quas cum possent Christi discipuli bene mereri de orbe terrarum vniuerso; haud scimus an quidquam fuerit ad commendandam seruatoris nostri disciplinam accommodatius stipulatione ea, quam CHRISTVS in IOANNIS Euangelio cap. VII, 38. de hisce in suos dotibus conferendis proponit. Huius loci ut vera sententia visque appareat Vobis, HVMA-
NISSIMI CIVES, animique vestri mirabili Saluatoris Vestri humanitate tanto efficiantur potentius, praesertim hoc tempore, quo

memoriam facultatum Spiritus diuini cum sanctis Apostolis communicatarum celebramus: haec verba CHRISTI breui disputatione illustrare nobis est propositum; quam, Deum rogamus, vt Vobis & ad agnitionem gloriae suae efficiat & ad pascendos diuini meditationibus animos vtilissimam.

Sunt autem verba ista pars orationis eius, quam CHRISTVS in templo Hierosolymitano habuit postremo dierum, quibus Iudaei solebant maiorum a Deo feliciter per loco deserta ductorum memoriam maximis laetitiae signis atque structis praecipue tabernaculis recolere; hos enim festo dies esse εορτήν verl. 37. a IOANNE appellatos, non possumus propter verbum huius seditionis secundum dubitare. Ac istum diem is pluribus verbis describit haud dubie propterea, vt, vndenam CHRISTVS occasionem gratiae suae populo offerendae sumserit, ostendat; certe ista diei significatio vel vana foret ac sine causa data, vel reddi commodior adiunctae huius rei ratio non potest, nisi existimaueris hoc indicare, quod diximus, Euangelistam velle. In illis igitur verbis: *Εν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῆ μεγάλης τῆς εορτῆς* non mirum est interpretes inuenisse, quod crederent: cum CHRISTVS haec, quae sequuntur, in summa *Σπουδαιότητι* celebritate exclamauerit, eum hanc orationem suam duxisse a consuetudine Iudaeorum quouis harum feriarum die aquam e fonte *Silva* haustam foramini magni altaris, matutini sacrificii tempore, per sacerdotem infundendi ^{a)}, & auocatos eos ab huius religionis vanitate ad se, tanquam omnis felicitatis fontem, aduocasse. Cui sententiae intercedit IO. IAC. FREY (loc. cit. §. XXVIII.) argumento non contentendo, atque monet, postremum illum magnamque, quem vocat IOANNES, diem fuisse diem harum feriarum octauam, quo ipso haustae & effusae aquae caerimoniam intermissam esse produnt

a) Hunc ritum exponunt in primis post codicem סוכה, qui est in edita a GVILIELMO SVRENEVSIO *Mischna* Part. II. p. 259. seq. *Salm. DEXLINGENS Obseruat. SS.* Part II. Dissert. 31. ac *Obseruat. Miscell.* Part. II. Exercitat. XX. & IO. IACOBVS FREY in Dissert. *de aquae hincione in festo tabernaculorum*, quam praeside CHRIST. FRID. TRESENREYTERO Altorfii c10 LXXXIII. defendit.

dunt Iudaeorum commentarii *b*). Ac isti quidem damus octauum hic diem festum indicari, etiamsi sint, qui defendant contrariam sententiam septimumque velint intelligi *c*), quibus multi alii satis fecere, in primis CONR. IKENIVS, interpret excellens in paucis *d*); sed propter hanc causam CHRISTVM aquarum effusionem non habuisse in animo, id nondum hac ratione effici videtur. Nam primum inter Iudaeorum magistros IEHVDA, qui ab integritate morum *sanctus* fuit appellatus, octavo etiam diei hanc profusionem asserit (cod. Succah. cap. 4. §. 9. pag. 276) neque negari igitur planissime potest hanc consuetudinem etiam illo die obtinuisse. Ac si vel ista res cadere in dubitationem posset: cum CHRISTI auditores superioribus harum feriarum diebus in ipso illo loco, vbi iam diserebat, huic religioni interfuisent; quomodo hoc ineptum est, si quis existimet, eum istam affusionem reuocasse in animos auditorum eosque ad suae veluti sapientiae rivulos excipiendos inuitasse? Neque enim credibile est CHRISTVM in mentionem salubrium aquarum suarum nulla data causa incidisse, sed istam sententiam duxit profecto ab aquis praesentibus vel animis auditorum vel oculis, ut in loco simili Ioh. IV, 10. seq.; illas autem vbi quis probabilius quaerat quam in Συνοπτικῆς celebritate, cuius, uti diximus, ipse IOANNES mentionem facit.

Neque vero audemus probare communem sententiam, quae Salvatore nostrum putat eo magis in hanc cogitationem venisse, quod instituta apud Iudaeos harum aquarum profusio duplicem habuerit significationem, primum experientiae a Deo pluuiae,

A 3

quem-

b) Vid. codicem סוכה cap. 4. n. 1. pag. 273.

c) Vid. IO. REINH. RVSII *Harmoniam Euangelist.* Tom. II. pag. 375. sq.

d) In Dissert. priore *de tempore celebratae a servatore ultimae coenae paschalis* Cap. III. §. 1—3., in qua idoneis locis defendit, primum & octauum diem Συνοπτικῆς proprie festos dies יום טובי appellari, cuius generis dies ημέρα μεγάλη Esa. I, 13. dicitur. Add. LAMPRII *Commentarius in Euangelium secundum Ioannem.* Tom. II. Edit. Basil. pag. 345. not. y.



quemadmodum Iudaei oblato, tempore paschali, primitiarum e messe hordei manipulo faustam imminentem messem precabantur, deinde fiduciae positae in promissionibus iis, quas Deus de dandis tempore Messiae dotibus a Spiritu Sancto profectis ostenderrat e). Quas res significatas esse crederemus, si ista consuetudo diuinae fuisset institutionis atque huius rei vim atque sententiam Deus quodam in loco declarasset; nunc cum a Iudaeis ipsis, id quod constat, inducta fuerit, qui terrenis & adspectabilibus magis quam rebus caelestibus inhaerebant neque in conspectum eadentibus, non nimis huic confidimus interpretationi. Nam tamen huic consuetudini e nonnullis sacrae litterarum locis audeant auctoritatem conciliare, veluti ex Esa. XII, 3., quod multis etiam nostrorum hominum placuit; haec tamen atque talia intelligi etiam sine ista re possunt, suntque ea ab alia potius similitudine ducta, quam postea dabimus. Neque ita rerum suarum certum sunt Iudaei, ad confingendam earum antiquitatem ac probabilitatem incredibiliter compositi, ut eorum auctoritate standum sit, maxime in re tali, cui ante, quam Christus sapientia sua doctiores Iudaeos fecit, tantae offuscae erant tenebrae, qualis est eorum de Spiritu sancto huiusque donis doctrina. Iam si ratio huius consuetudinis quaeritur, ea reuocare potius videtur debuisse beneficium magnae aquarum copiae, quam Deus Israelitis in longo per desertum itinere aqua destitutis propinauit. Etenim cum Deus Israelitas celebrare memoriam vitae maiorum peregrinantium in tabernaculis aetae festis illis Σαυωτηριας diebus voluerit (vid. Leuit. XXIII, 43.) ad credendumne difficile est, effundendae in his feriis aquae consuetudinem a Iudaeis adiectam fuisse, ut aquarum suis olim a Deo effuse datarum memoriam posterorum animis subiicerent? Omnia certe ea, quibus Iudaei harum feriarum celebritatem auxerint, ita sunt temperata, res illas ut quadam similitudine expriment, quae Israelitis in locis desertis & paulo

e) Vid. eos quos LAMPFVS loc. cit. Tom. I. pag. 719. not. c. citat, iisque adiunge IO. LIGHTFOOTI *horas hebraicas* in h. l. Opp. Vol. II. pag. 632. §. II. III. SCHOETTGENIVM in *dem Rabbiner* p. 202. seq. & loca, quae WETSTENIVS ad locum nostrum copiose congregit.

paullo post contigerant. Nam rami isti malaque citrea, quibus his diebus ornati incedebant, non inepte quis traxerit ad istas palmas, quas ad fontes Israelitae Exod. XV, 27. reperisse leguntur, ac mala ad omnes fructus, quibus terram sibi promissam exuberare viderent. Iam quod cum ramorum fasciculis quouis hoc festo die, ac ultimo septies, altare circumirent, hoc ipsum Iudaei (in *Gemara Hierosol. Succah. LIIII. 3.*) in memoriam obsidionis Hierichuntinae factum esse tradunt. Itaque & eum, quem tractamus, ritum eodem loco habere quis vetat?

Sed ista de re satis; ad verba *ΧΡΙΣΤΙ* veniamus, quibus ad se Iudaeos vocat, eorumque animos adiecta beneficii singularis promissione incendit? Ac primum sententia ipsius excitationis: *Ἐάν τις διψῶ, ἐρχέσθω πρὸς με καὶ πινέτω*, non est admodum obscura, rectissimeque haec *CHRYSOSTOMVS f)* interpretatur: *εἰ τις ἔχει προθυμίαν πολλήν, εἰ τις ἐκείνισται τῷ ποδῷ, τῶτον ἐγὼ καλώ*. Nempe ut sitientes appetunt id quod restinguere sitim possit, sic, qui magno cuiusdem rei desiderio tenentur, in omni lingua *sitire* dicuntur, in primis ii, qui sunt doctrinarum alterius cupidissimi, habentque aures, ut ait *CICERO g)*, sitientes. His si quis imbuit doctrinis sic ut eae illi probentur, tum dicitur *bibere b)*; nec dubitari potest, eandem illam sententiam hic isti verbo esse subiectam, cum ipse *CHRISTVS* eos, quos ad bibendum prouocat, statim *credentium* nomine appeller. Ipsa vero orationis forma: *εάν τις* cet. non tam declarat, ut *LAMPPIO* placuit, paucos esse qui sitienter doctrinam beneficiaque Christi expectant, quamuis & hoc ita se haberet omnino, sed *CHRISTVM* potius ad suscipiendos omnes, quoscumque luberet, non solos Iudaeos,

f) Homilia LI. in Ioannem. Tom. VIII. Ed. Montefalc. pag. 119. B.

g) ad Atticum Lib. XII. epist. 14.

b) *Bibere alicuius aquam* idem sibi apud Iudaeos velle ac: doctrinas alicuius perceptas probare docet citat. loc. *SCHOETGENIVS* pag. 218. seq. Exstant etiam in sacro codice alia eiusdem generis, quae qui non tenent, legere ea possunt, quae monuit V. C. 10. *DAV. MICHAELIS in collegio critico ad Ps. 16. 40. & 110. p. 375.*



Iudaeos; vel magna inter eos sanctitatis gloria florentes, paratissimum exstitisse. Cuius rei ut vehementi quasi siti auditores suos inflammaret, magnae auctoritatis beneficium promittit his versus 38. verbis: ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, καθὼς ἔπεν ἡ γραφή, ποταμοὶ ἐν τῆς ποιλίας αὐτῆ ῥεύσουσι ὕδατος ζῶντος, de quorum interpretatione variis eruditi dissident sententiis.

Namque primum de eo, quem Christus huius beneficii ait participem futurum, sunt qui verba: ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ cum superioribus coniungenda putent hunc fere in modum: *bibat eo ipso quod in me credat*, siue: *bibat quicumque credit in me*. Quomodo olim haec verba reddidit cum aliis Ven. HEYMANNS, cum germanicam Noui Testamenti conuersionem componeret, sed progressus ad accuratiorem huius loci interpretationem ^{*)}, bene hanc explicationem commutauit cum altera, quae ipsa vult verba ad versum 38. referri. Turbat enim illa superior interpretatio omnem verborum seriem nec satis est consuetudini Graecorum dicendi accommodata; docent IOANNIS verba v. 39 αἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν, quae promissionem Christi (vers. 38.), non excitationem (vers. 37.) interpretantur, verba nostra ad illam trahenda esse. Nec de ita coniungendis verbis dubitare nos finit locus plane similis cap. XIV, 12. vbi quoque ὁ πιστεύων εἰς Χριστόν accepturus dicitur vim ad miracula edenda. Sed in illum errorem, qui vult haec verba coniungi cum superioribus, facile incidere poterant, quibus ille nominatiuus: ὁ πιστεύων insolens & sine causa positus, verba autem sequentia vers. 38. rem tantae magnitudinis continere videbantur, quanta nec vquam hominibus promissa, sed de Deo saepius dicta reperiebatur. Ios. III, 1. Ies. XLIV, 3. Apoc. XXII, 1. cet. At ista verborum coniunctione non offenduntur ii, qui similia nominatiui absolute positi exempla, etiam in nostro (vt Apoc. II, 26.) *k*), meminerint, nec, qui eiusdem

*) In Explicatione Nou. Testam. Part. III. pag. 366. seq.

k) Alia dabunt, rara licet in graecis, HOMBERGIVS in *Parergis* p. 164. & HENR. HOOGVEENIUS, V. C. ad VIGEVVM de *graece dictionis idiotismis*, Edit. 2. pag. 41. 42.

dem argumenti loca Ies LVIII, II. Ioh. IV, 14. aliaque similia teneant, altera ratione multo magis. Contineantne vero haec; ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ aliquid omnibus in Christum credentibus commune, an non nisi quibusdam proprium, tum apparebit, cum, quid sit attributum: ποταμοὶ ἐν τῆς κοιλίας αὐτῆ ῥεῖσιν ὕδατος ζῶντος, dixerimus.

Atque haec cum sint obscura per se, tum illa perdifficilis est ipsius Evangelistae interpretatio, qua vers. 39. depellere ab his verbis caliginem studet: Τὸτο δὲ εἶπε περὶ τοῦ πνεύματος ὃ ἐμελλον λαμβάνειν οἱ πιστεύοντες εἰς αὐτόν. ἔγω γὰρ ἦν Πνεῦμα ἅγιον, ὃ τὸ Ἰησοῦς ἐδάπανω ἐδόξασθη. Ab hac igitur commentationem nostram ordiamur. Hic vero maxime torquet interpretes, saltem eos, qui caeco impetu nolint sectari alios, sed ipsi, quid quaque in re veri insit, videre, gravissima quaestio: quis sit ille, quem appellat IOANNES, *Spiritus*? quomodo etiam is nondum illo tempore adfuerit? Quod cum de Spiritu sancto, tamquam persona, dici non posse appareret, hinc exstitisse arbitramur, quod in codicibus quibusdam, versionibus etiam, ut in latina vetere atque Syriaca, ἅγιον post Πνεῦμα abiiceretur. Nam etiamsi GROTIUS (ad h. l.), RICHARDVS SIMON l), alique istud verbum vel ex ingenio Macedonianorum adiectum putent vel margini adscriptum postea in textum irrepisse; tamen, cum hoc, indice WETSTENIO, non nisi tres codices, versiones aliquot, postque ORIGENEM pauci, nec ii quidem ipsi, qui pendent ab ORIGENE, habeant, omissum rectius dicis ab iis, qui vel paullo ante πνεῦμα nude positum viderant vel vocabuli πνεύματος difficultatem minuere aliquo modo stucebant. Sed ut facile est iudicatu, dotes diuinas, quas in homines conferre Spiritus sanctus dicitur, πνεῦμα hic fuisse appellatas sunt qui sacultrates ad prodigia, alii qui dona popularia magis omnibusque veris Christianis communia, alii denique qui utraque intelligant, inter quos quiaam teneant rectissimam sententiam IOANNIS CHRISTIQUE ipsius verba declarant.

B

clarant.

l) Histoire critique du texte du N. Testam. p. 374. seq.

clarant. Namque *primum* IOANNES *ἔπευ γὰρ*, inquit, *ἢ πνεύ-*
μα ἄγιον, (nempe *δοθέν*, vt addit CHRYSOSTOMVS) *ὅτι Ἰησοῦς ἐδέ-*
πτε ἐδοξάσθη, vbi imminens Chriftri gloria non quidem est ea,
 quam mortem in cruce obeundo sibi parauit, quod visum est
 CHRYSOSTOMO, sed dignitatis maiestatisque diuinæ gloria, qua
 ad supremas caeli regiones progressus floret. Huius interpreta-
 tionis veritas continetur dictis clarissimis Actor. II, 33. Ephes.
 IV, 7-11. & Ioh. XIV, 12., quibus ipsis vremur vt, quænam
 hic sint dotes significatae, doceamus. Ac in illo superiore loco
 cum PETRVS Iesum ad summum fastigium diuinæ gloriae eue-
 ctum ait effudisse ea, quæ iis, cum quibus tum loquebatur, ocu-
 lis ipsis auribusque possent vsurpare; quid aliud voluisse putan-
 dus est quam admirabile, quod illo ipso die viderant, porten-
 tum infusæ in Apostolos tantæ virtutis, vt etiam nouis plane
 nec ante cognitis linguis cuius auditorum accommodate loque-
 rentur? Alterum vero PAVLLI Apostoli effatum de iisdem non
 vstitatis sed singularibus ad edenda miraculi facultatibus agere,
 quis est qui negare possit, cum loca profus similia Rom. XII,
 6. seqq. ac I Corinth. XII. & XIV contulerit? quæ quidem ne-
 mo est quin versari in describendis huius generis dotibus confir-
 met. Nam & omnes in viroque loco orationis Apostolicæ par-
 tes planissime consentiunt, & dona, de quibus est quæstio, sin-
 gularibus in Ecclesia antiquissima sacrorum ministrorum officijs,
 non omnibus Christianis, adiuncta dicuntur. Atqui per hos,
 quos excitauimus, locos CHRISTVS, cum ad altissimum in coe-
 lo dignitatis gradum, sua sibi morte comparatum, peruenit, il-
 las singulares neque notas neque cuius Christianorum proprias
 dotes distribuit; itaque, nisi, quod minime admittendum paro,
 ipsam diuinorum librorum in interpretando auctoritatem veli-
 mus contemnere, de his etiam verba, quæ tractamus, intelli-
 genda sunt. Locus autem ex Euangelii nostri cap. XIV, 12. ita
 perspicue de dotibus ad miracula in Chriftri discipulos conferen-
 dis loquitur, vt haud sciam an quisquam sit interpretum qui se-
 cus ibi verba intelligenda putet. *Alterum* huius interpretatio-
 nis rationem afferunt ipsius CHRISTI verba: *καθὼς ἔπευ ἢ γεαφθῆ*,
 quæ

quae videmus a nonnullis cum superioribus coniungi sic, ut ostendatur, qualis esse vera fides debeat, nempe caelestis istius libri praescriptis accommodata, ut CHRYSOSTOMO aliisque, veluti RVSIG *m*), visum est. Sed nobis ista sententia non probatur propterea, quod paullo durior videtur, &, quoniam in veteris Testamenti libris distributio donorum Spiritus sancti aquae in homines effusae comparatur, rectius referri ad sequentia potest. Nempe, etiamsi non ipsa haec, quae paullo post subiiciuntur, verba: ποταμοί κ. τ. λ. vsquam in illis libris legantur, quod EVILIELMO WHISTONO, portentosi ingenii viro, ineptam suspitionem mouit, fore, ut hic ipse locus ex Ebraico archetypo exciderit *n*); at horum verborum sententia multis in locis reperitur, ut Esa. LV, I. LVIII, II. atque inprimis Ioel. III, I. seq. Quem postremum locum haud scimus an hic vnice a Christo significatum cum HEVMANNO credamus, cum PETRVS in oratione, qua gloriam concessi Apostolis Spiritus sancti celebrabat (Actor. II, 16.), eum vnum adduxerit. Quod si est ita, iterum intelligitur nostro in loco CHRISTVM singulares illas, quas diximus, dotes promississe; nemo certe istas in IOELIS carmine intelligendas esse negat. Sed adiciamus etiam aliud quod illud conficiat & repetamus Euangelistae interpretationem. Rem hic significatam cum dicat tempore eo, quo Christus eam pollicebatur, nondum existisse sed demum existuram post Saluatoris nostri in loci supra discessum perfectumque redemptionis officium; quae tandem alia exposuisse putandus est dona, quam quibus noui testamenti dignitas a veteris imbecillitate discrepare debebat? Iam IOANNES is, qui, quoniam aqua Iustrali Christo discipulos praeparabat, Baptistae nomen accepit, hunc esse characterem ait nouae Iesu Christi disciplinae, ut sibi deditos spiritus sanctissimi donis quasi imbuat (Math. III, II.), quae verba omnes consentiant de his inuistatis accipienda esse, & si quis dubitaret, loco illustri

B 2

ex

m) Harmon. Euangel. l. c. p. 381.

n) In libro: *an essay towards restoring the true sense of the old testament*, Londini MDCCLXII. edito, pag. 106.



ex Actor. XIX, 2-6. erroris conuinceretur. Itaque & hic a Christo ea promissa esse fatendum est.

Sed erunt profecto, qui nos ipsos de singularibus ad edenda prodigia donis hic vnice cogitantes erroris postulent, ducti, vnde suspicamur, argumento triplici. Nam *primum* ante, quam Christus in caelum migraret, obuertent, etiam huius generis dona existitisse in viris diuinis, itemque Christi aetate Apostolos aliosue iis fuisse ornatos. Quod nos quidem non ignoramus, sed quaeremus: putentne dona vtitata, quibus omnes, qui credunt in Christum, splendescunt, fuisse collata in eos ante Christi aetatem viuentes, qui fide Christum tandem aliquando se his in terris ostensurum amplectebantur? Hoc ipsi certe putant, sed propterea eo confugiunt: nostro in loco maiorem quasi harum virtutum mensuram fuisse praemissam, atque hactenus *Iesu Christi* discipulos illis superioribus praestitisse. Quid ergo est quo causam suam superiorem nostra arbitrentur, cum eandem responsionem nobis, si aequi velint esse, concedere debeant? Nec tamen eo vt nos cum iis referamus necesse est; ipsi *CHRISTI* verba, quid has inter facultates in veteri nouoque testamento discriminis fuerit, ostendunt satis vimque oppositi nobis argumenti frangunt. Nempe cum Christiano cuique, quem tum vocasset ad se, has dotes conferendas promittat in illis: *ὁ πνεύματι κ. κ.* auocetque eum a rerum externarum & commentitiarum vanitate; verbis declarat profecto, non vni alteriue nec modo iis, quos tanquam nuncios nouae disciplinae suae missurus ad homines esset, sed pluribus has distribuere velle eaque re suis gloriam, quam in Veter. Testament. vniquam exstiterit, maiorem concedere. Deinde his: *καθὸς ἔπειν ἢ γράφῃ* eadem ipsi dona cum suis communicanda prodit, quae erant a Deo antiquitus, maxime Joel. III, 1., credituris in saluatorem diuinum promissa; qui ipse locus, vt omnis generis hominibus sub nouae *IESV CHRISTI* disciplinae initis has dotes eximias tribuit, sic, quomodo hae a Christo in loco nostro promissae ab iis discrepent, quas Deus subinde legatis suis concesserat, ponit extra omnem dubitationem.

Sed

Sed instant nobis *alio* quodam *argumento*: nempe in libris Vet. Testamenti subinde occurrere loca, nostro prorsus similia, tanquam Esa. LV. & LVIII., in quibus non singularia, ut volumus, sed nota illa omnibusque credentibus communia dona Messiae tempore distribuenda legantur; certum etiam illud esse e locis Nou. Testamenti innumerabilibus, praesertim ex illustri illo & vel verbis simili Ioh. IV. 13. sq., dotes facultatibus ad prodigia excitanda longe praestantiores Christianis promissas fuisse; vim igitur atque virtutem verborum CHRISTI debilitari, nisi etiam illas ab eo significatas confiteamur. Quod ita esse, rogo, doceant, qui possint. Quid? ex aliqua tali similitudine verborum constat loca esse eiusdem argumenti? Et verbis subiecta sunt omnia ea, ut quidam minuti philosophi defendunt, quae ipsis subiecta esse possunt? Et CHRISTVS de inuitatis ac singularibus loqui numquam potuit, nisi vsitatas etiam & communes commemoraret? nec res omnino diuersas, similes tamen quodam modo, proponere verbis paene similibus? At omnibus tamen has dotes in eo, quem illustramus, loco pollicetur, neque profecto istae *singulares* omnibus distributae fuere. Audio. Sed ista CHRISTI ad omnes eos, quibuscum in feriis illis Συνοπτικῶς loquebatur, non item ad Christianos quoscunque, referri possunt; omnes vero illos, qui dictis Christi se tum praebuerunt audientes, etiam his inuitatis dotibus ornatos postea fuisse quis est qui negare audeat? Neque vero haec CHRISTI dicta necesse est de omnibus intelligi. Namque ut errant ii, qui, ubi de multis commemorata legant, haec negent statim de omnibus dicta fuisse, ita, qui illud affirmant protinus, cum verba vel simpliciter posita reperiant vel adiecto etiam vniuersitatis indicio, simili in errore versantur. Quod in caussa praesenti facile intelligitur e locis, in quibus de iisdem illis singularibus donis sacri libri loquuntur. Nam cum IOANNES Matth. III. 11. dicit: αὐτὸς ὑμῶν βαπτισθεὶς ἐν πνεύματι ἁγίῳ, infinita est eius oratio, nec tamen de conferendis in quoscunque auditores suos Spiritus Sancti donis intelligenda, nisi haec verba Baptistae ad eos qui ipsi tum aderant, non ad Christianos Apostolicae Ecclesiae vniuersos, referre mauelis. Nec in loco eo, quem



PETRVS Actor. II, 17. seq. repetit e IOELE, *πῶσα σὰρξ* omnes in vniuersum homines significat; neque enim omnes, vt ipsos illos, qui contra nos disputant, fateri necesse est, diuinandi facultate a Deo exornati fuere.

Hac verborum CHRISTI sententia ad interpretationem 10. ANNIS satis stabilita & fixa, illud breuiter excutiendum est vt sciatur, quid sibi velint ista per tropum dicta: *ποταμοὶ ἐν τῆς κοιλίας αὐτῆς (τῆ πνεύματος) ῥέουσιν ὕδατος ζῶντος*. In his cum aqua vina duplex est notio coniuncta, vna quidem propria quae aquam designat ex ipso fonte haustam atque perennem, quod clarissime docet locus Ioh. IV, 10., si conferatur cum responsione feminae Samaritanae vers. 11., ad quem plura e latinis scriptoribus, etiam e libris Vet. Testament. v. gr. Genes. XXVI, 19. Leuit. XIV, 5. Ier. XVII, 13, congeffit cum LAMPPIO & ELSNERO WETSTENIVS; altera est impropria a CHRISTO eodem in loco, sicut in nostro, usurpata atque vel CHRISTI doctrinas, vt plurimis placet, significat, vel quaecunque Christus suis etiam e genere virtutum distribuit ad sempiternam felicitatem impetrandam idonea. Huius vbi se *amnes* s. flumina *effundere dicuntur*, magna harum virtutum copia cum diuturnitate exprimitur; magis enim hic cum CHRISTVS singulares dotes suis impertiendas, vti ostendebamus, indicet, de his quam de doctrinis cogitandum videretur. Et enim, quod nemo ignorat, flumina signum sunt rei quae copiose datur, ac *ῥέουσιν* quid significet locus similis Ioh. IV, 14. declarat, in quo Euangelista mentionem iniicit ὕδατος ἀλλομένης εἰς ζωὴν αἰώνιον, vbi HESYCHIVS ἀλλομένη bene interpretatur αἰετῶς ῥέουσα ἢ βλάζουσα, nam cum hunc locum habuisse in mente vel forma istius glossae demonstrare potest. Id vnum quaerendum restat: an CHRISTVS his verbis vsum istarum facultatum vel in eum, qui istis splendet, vel in alios redundanter significet? Haec quaestio pender a verborum: *ἐν τῆς κοιλίας αὐτῆς* interpretatione legitima, quae abiciendam iubet ineptam disputationem motam ab iis, qui *κοιλίας* ventrem esse an corpus? subtilius quaesierant atque excusserant mirabiles elegantias ex vrcei cauitate

rare aut puteorum fistulis sumtas; quod est ludere in rebus se-
rijs, nec quidquam ad id, de quo agitur, luminis afferre. Sed
CHRISTVS vel *νοτις* posuit pro *animo*, sic enim saepius *οι ο* ver-
tunt Ebraeorum *נפש*, vt Thren. II, II. aliisque in locis apud
KEVCHENIVM *o*) vel loquitur accommodate ad consuetudinem
Ebraeorum, qui homines exprimunt per partes corporis, qua-
rum sit qualiscunque coniunctio cum re, quae illis assignatur,
nec tum de istis partibus sed de toto homine cogitant; quo ef-
ficeretur vt illud *εν τῆς νοτις αὐτῆς* nihil sit aliud nisi *ex illo*.
Iam perspicuum est noluisse Christum verba haec sua intelligi
hunc in modum, vt ii, qui ornati his dotibus essent, ipsas pos-
sent conferre in alios, hoc enim non datum erat nisi Apostolis,
qui manibus impositis eas cum aliis communicarent; sed habent
verba nostra maiorem aliquem ambitum, neque ad hos Aposto-
los vnice pertinent. Itaque, cum fuerint aliis etiam inter Chri-
stianos promissae, primum significare videtur CHRISTVS vsum
atque fructum, quem hi ipsi, quibus illae erant creditae, essent
percepturi, deinde emolumentum in alios etiam redundaturum
eo, quod vel ad suscipiendam possent vel retinendam *Iesu Chri-
sti* disciplinam incitari. Sed ista coniungenda videntur non so-
lum propterea, quod ipsae hae dotes praestabant vtrumque
vsum; (vide e. c. I Corinth. XII, II. sq. cap. XIV, 12. sq. in pri-
mis vers 17.) sed quod etiam illa sententia magis videtur loco
Ioh. IV, 14. consentanea, haec vero illi rei, quam sibi Deus in
distribuendis his dotibus maxime propositam habebat, vt & vni-
uersae Ecclesiae vtilitas & emendatio eorum, qui seiuncti a di-
sciplina Christi essent, promoueretur; estque adeo hic sensus
promissioni Saluatoris nostri subiectus: eum, qui fide CHRIS-
TVM suscepturus esset, huiusmodi singularibus prorsusque di-
uinis dotibus exornatum iri, vt non solum is ipse, sed alii etiam
vel Christiani vel seiuncti adhuc ab ista communitate homines,
multum vtilitatis reportarent.

Nobis


e) in *Annot. ad Nou. Testam. p. 160.*




Nobis vero, HVMANISSIMI CIVES, quamquam haec est erepta felicitas, nec ista admirabilia Dei effecta vel coram intueri vel in manibus quasi habere possumus, alia tamen parata est eaque longe excellentior. Nam istae tam praeclarae dotes tamen non erant perfectae nec comparandae cum illa felicitate, qua fruemur tum, cum Deum, vii est, cognoscemus. Cum tamen nobis ipse Deus ostenderit, quid sit vel his tantis donis praestabilius (1 Corinth. XII, 31.), nempe amorem Dei aliorumque quos Deus nobis in hac vita comites dedit, summaeque illius felicitatis oblata Spiritus sui gratia nobis quasi praegustum exhibeat, hoc, his praecipue diebus, agamus, hoc meditemur, ut nos voluntati, benevolentiae, amori eius totos tradamus, atque ita sitienter appetamus suavitatem Dei, ut vitam iam in hac terra caelestem agere possimus. P.P. die


IX. Maii MDCCLXI











01 A 6554

ULB Halle 3
002 931 222




vd18

R





fect
en a
iae
fcii
cide
mus
ac
o h
mo
que
o v
ctc
adi



27
IOAN. AVGVST. NOESSELT 5)

THEOL. PROF. PVBL. ORD.

AD LOCVM

E IOANNE VII. 37 -- 39.

DISPVATIVNCVLA

PVBLICO NOMINE OLIM

NVNC EMENDATIOE EDITA.



HALAE MAGDEBVRGICAE

APVD IOANNIS CHRISTIANI HENDELII AIDVAM.

M DCC LXVI.

